

Cl. VIII
3582


J. W.
Schlegel


Nederlandse
29. OKT 2002
Entomologische Vereniging

DE HYDROPHOBIA

EIVSQVE SPECIFICO

MELOE MAIALI ET PROSCARABAEO

CONSENSV ET AVCTORITATE

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

IN REGIA FRIDERICIANA

PRAESIDE

D. IO. CHRISTLIEB KEMME

FACVLT. MED. P. T. DECANO

PRO

GRADV DOCTORIS

LEGITIME CONSEQVENDO

D. V. MAII CIↃIↃCCLXXXIII

PVBLICE DISPVTABIT

AVCTOR RESPONSVRVS

CAROLVS TRAVGOTT SCHWARTS

SILESIVS.

CVM TABVLA AENEA.

HALLAE,

EX OFFICINA HENDELIANA.

VIRO

ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO

CONSVLTISSIMO

DOMINO

DIPPRANDO GOTTFR. WILH.

DE REIBNIZ

POTENTISSIMO BORVSSORVM REGI


A CONSILIIS BELLICIS ET DOMANIALIBVS

CAMERAE GLOGAVIENSIS ASSESSORI

ET

DYNASTAE IN BAVMGARTEN

PATRONO SVMMO



Quas offero TIBI, VIR ILLVSTRIS, ingenioli mei primitiae academicae certe ad neminem magis, quam ad TE pertinent, qui eligendae profitendaeque Medicinae auctor mihi suasorque extitisti. Neque dubito, TE munusculum hocce, quantumuis leue minusque ornatum, benigne accepturum. Qui enim a TE ipse impetrare possis, vt officia, a pietate profecta, contemnas? Equidem non is sum, qui non dicam exornare, sed enarrare innumera a TE in me collata beneficiorum genera possim; nullo non autem tempore eo vi summa adnitar, vt quam gratissimus erga TE, VIR ILLVSTRIS, esse cognoscar. Summus

rerum

rerum Arbiter TE & inclytam TVAM familiam quam diutiſſime ſeruet omnique bonorum genere benigniſſime cumulet! Cuius voti vtinam damnetur, qui ſe ſuaque TIBI impoſterum quoque commendat

NOMINIS TVI ILLVSTRIS

Hallae, d. III. Maii 1783.

CVLTOR OBSERVANTISSIMVS
CAROLVS TRAVGOTT SCHWARTS.



§. I.

Diu mecum multumque deliberaui, quam mihi prae caeteris materiem, in hac ſcribendi neceſſitate, tractandam ſumerem. Neque me electionis difficultas aut ſola, aut maxime grauabat, ſed is potiſſimum, quem intime percipio, imbecillitatis meae ſenſus, & quae, quandocunque animum ſubit (ſubit autem frequenter), me multum ſemper commouet cogitatio: me parum modo iis, quae vim maximam in Medicina habere recte iudicantur, ſcientia & experientia, valere. Haec vero dum animum ſuſpenſum tenebant paeneque a ſcribendo deterrebant, ecce! fortunate accidit, vt me Meloes quondam efficacitatem ab imminente morbi crudeliſſimi, hydrophobiae, impetu tutum praeſtitiſſe, recordarer. Quapropter, velut pietate quadam erga beneficam hanc medicinam affectus, inaugurale hocce ſpecimen ei di-

 care,

care, apud me constitui. Nec deerant, quae, capto hoc consilio, in eo me confirmarent: nouitas rei, dissensus Medicorum, lex a summis Viris lata *), alia demum, eademque etiam propria, quae in promtu habebam, obseruata. Occasionem scripti iam intelligis B. L.; reliquum est, vt id aequus & serena fronte accipias!

§. II.

De Meloes igitur maialis & proscarabaei virtute antihydrophobica breuiter dicturus, non incongruum esse puto, pauca de hydrophobia (hygrophobia, morsus rabidi animalis, rabies canina &c.) ipsa praemittere. Neque tamen huius aut morbi, aut symptomatis plenam absolutamque historiam promitto, sed ea me eius specie, quae, reliquis frequentior, morsum canis rabidi insequitur, eiusdemque potioribus momentis continebo. Et primum quidem, quod in eius consideratione attentionem nostram meretur, vulnus ipsum est, quod canis rabidus intulit. Hoc, vt est intellectu procliue, pro conditionum variarum diuersitate, magnum aut paruum, profundum aut superficiale, simplex aut compositum esse, quin variis corporis partibus infligi potest. Cui qui-

*) Bekanntmachung des specifiquen Mittels wider den tollen Hundesbiß u. s. w.; Seit. 16.

quidem diuersitati saepissime periculum & motum morbi respondere, non negauerim; quandoque tamen leuiora vulnera symptomata vehementiora & truculentiora excipiunt, quam maiores & profundiores partium dilacerationes. Subinde quoque id vulnus parcum sanguinem fundit, siue quia vexatum est, siue quod rabidi canes festinanter & in morem veluti canis, e Nilo degustantis, mordent, quod nostrates vernaculo verbo: *Schnappen*, satis apte exprimunt. Quo proxime deinde aegri affici solent repentinus terror, plerumque satis vehemens symptoma est, quod non infrequenter neruorum distensiones, cordis palpitationes, atque reliqua metus terrorisque effecta comites habet, idque tum etiam, quando aegroti hydrophobi non euadunt. Denique, absente in aegroto caussa, ad morbum hunc praedisponente, praedicta omnia sensim mitiora fieri solent, atque morsus, nisi admodum sensiles neruos habeat, paulo post ad se redit, metusque cum vulnere, satis plerumque facile coëunte, euanescit.

§. III.

Verum in his, quorum corporibus dispositio, huic morbo fauens, inest, longe aliter se res habet. Nam ocyus serius in ipsam hydrophobiam delabuntur; quo facto, alterum totius

totius morbi ſtadium incipit. Tempus autem, quod duo iſta ſtadia dirimit, pro vulneris, temperamenti, &c. ratione valdopere differt. Neque ſane ſuae ſalutis ſatis certus eſſe poteſt, qui, poſt leuiuſculum vulnus acceptum, aliquamdiu cum bono corporis habitu egregie ſibi valere videtur; nam iſtiusmodi vulnera, ſaepius leuiſſima in initio viſa, poſt longum tempus recruduiſſe & hydrophobiam produxiſſe obſeruata ſunt. Quae vero obſeruatores exempla adducunt hydrophobiae, poſt decimum & vigeſimum, quin quadrageſimum a vulnere illato annum ſubnatae, mortemque demum poſt tam longum a ſuſcepto veneno tempus inducentis, ea mihi vtique ſuſpecta ſunt; crediderim enim, homines tum aegros aut alia de cauſa in hydrophobiam incidiſſe, aut contagium nouum hauſiſſe, maxime, cum contagium iſtud ſibi quis ea ratione contrahere poſſit, vt id ſe ſuſcepiſſe omnino neſciat. De eo enim, quod, inſciente homine, hydrophobicum ipſi virus inferri poſſit, dubitabit nemo, qui perpendere velit, quam tecte ſaepe alia miaſmata quamque variis ſub laruis propagentur, diſſeminentur. Deinde FABRICIVS *Hildanus* hiſtoriam refert, quae id egregie comprobat *). Dilacerauerat enim mulieri canis rabidus veſtem, illaeſa tamen & intacta cute;

mu-

*) Cent. I. Obſ. 86.

mulier, de rabie canis ne cogitans quidem, imprudens filum, quo ad consuendam vestem vsa erat, dentibus disrumpit, eoque se hydrophobico miasmate sic inquinat, vt, elapsis abinde tribus circiter mensibus, hydrophobia afficeretur &, truculentis accedentibus symptomatibus, diem obiret. Simile quid alii obseruarunt, vt COELIVS AVRELIANVS *). Denique, canes rabidos iam ante furorem virus illud in corpore habere idemque, vel blandientes ludentesque, mediante saliua, cum hominibus communicare posse, a veritatis specie non omnino alienum est. Quo autem concesso, sequitur, miasma hydrophobiae non solum clam aegro corpus ingredi, sed, hoc facto, eodem etiam modo, ac in cane, de quo contagium emanauit, euolui & per succos humanos diffundi posse. Per aliquot tamen tempus illud in corpore delitescere posse, veritati omnino consentaneum est. Etenim constat id de hoc, vti de aliis miasmatum generibus, certis obseruationibus. Sic puerum noui, qui, die 27 Maii 1781 demorsus, post quatuor demum menses hydrophobiae lethali succubuit; in eo autem hoc notatu dignum atque singulare fuit, quod vulnusculum, ei inflictum, leuissimum esset; canis enim cuticulam tantum in

*) *Acut. morb.* Libr. III. cap. 9. p. m. 219.

in dextra ſupercilii parte, prope glabellam, ſqualidis dentibus deraſerat.

§. IV.

Sed reuertor ad ſymptomata hydrophobiae. Elapſo eo, quod deſcripſimus; contagii, infectionis aut acceſſionis ſtadio, aegri vel in ſpeciem valent, vel alterum id ſtadium preſſo pede ſequitur. Quo vero cunque aut tempore aut modo illud prodeat: mentis perturbationes, quae ſub ingreſſum contagioſae materiei, a natura potius, quam a morbo excitabantur, nunc vi morbi redeunt & ſenſim ſenſimque increſcunt. Sentiunt quoque aegri in vulnerato loco pruritum, doloremve, quem varia ratione exprimunt, quique plus minus late ad propinquas & remotiores, cum externas, tum internas partes propagatur. Vulnus etiam plerumque tumidius apparet, recrudeſcit, ſaniem fundit, & crudum conſpicitur. Aegri interea, triſtes, meticuloſi & anxii, in ſolitudine quaerunt ſolatium, taciturni & iracundi fiunt &, reſpiratione interrupta, immixtis per interualla profundis ſuſpiriis, laſſitudinis frigorisque ſenſu percepto &c. antea latentis, nunc euoluti virus praeſentiam declarant. In lecto decumbentes, ſomnum aut omnino non, aut ita capiunt, vt, etiamſi ſtertant, non reficiantur eo, cum, quo tenentur, vix ſomnus quies-

ve dici queat; miſeri ſiquidem inſomniis vexantur horridis, ſub quibus deprauata phantaſia, canis rabidi imagine aliisque ſpectris, iam vndique affectum animum peſſime excruciat. Poſtea cibi faſtidium ſuccedit, & aegri candelae, ſolis &c. ſplendorem perferre nequeunt. Simul organa deglutitionis fluidis, non numquam etiam ſolidis obicem ponunt, vt aegri tamen in principio, adhibito maiore niſu, vim velut ſibi inferentes, adhuc deglutire valeant. Pulſus varius, isque, ſicut ſpaſtica vrina, neruos potiſſimum laborare indicat. Cum profundioribus ſuſpiriis atque anxia reſpiratione morbi deinceps grauitas eo vsque increſcit, vt tandem fluida, interdum etiam ne ſolida quidem deglutire queant, idque vel tentantes modo, *aut* in vniuerſo corpore partibusve conuellantur, aliisve ſpaſmis afficiantur, *aut* in alia mala incidant, vt anxietatem ſummam, delirium, animi deliquia, dolorem in epigaſtrica regione fixum. Eadem, in progreſſu morbi, a ſolo aquae aliorumve liquidorum adſpectu, quin fluidi cuiusvis aut ſtrepitu aut nomine audito obſeruantur. Subinde quoque neque ſpecula aliave corpora, quorum ſuperficies polita eſt, neque viuidiores colores, neque ipſum aërem & propria liquida, vt lacrumas, ſaliuam, ferre, ſine maximo incommodo, poſſunt. Inter colores is quoque, quem rabidus canis, qui momordit eos, habuit,

inique ferri & animum atque corpus aegri mirum in modum perturbare dicitur. Senſilitate etiam in vniuerſum creſcente, nonnulla ſentiunt & auerſantur aegri, quae ſenſum alias fugiunt, aut blandius eum & absque incommodo afficiunt. Siti intolerabili, qua nunc excruciantur, cum potu mederi nequeant, tantam inde patiuntur inquietudinem, vt omnium adſtantium miſericordiam commoueant. Accedunt: ſudores anxii, crebri, frigidi; ſpumans os; frequentes corporis contremiſcentiae; vox rauca; ſtricturae variae ſpaſticae, quibus etiam euacuationes & retentiones turbantur, bilis potiſſimum; febris; congeſtiones verſus caput; oculi torui, rubri &c. deliria; mordendi & ſaliuam in alios ſpuendi deſiderium. Interdum tamen lucidis ſic dictis interuallis gaudent; quo quidem tempore cum amicis atque propinquis confabulantur; ipſeque ego puerum, cuius mentionem ſupra inieci, paulo ante, quam moreretur, cum parentibus ſuis ſatis concinne verba miſcuiſſe iisque vltimum triſtiſſimumque vale dixiſſe, memini; idemque, iam ante hoc tempus, delirio aliquamdiu intermittente, rogauerat patrem, in vulneris deligatione tum occupatum, vt caueret ſibi, ne a ſe morſu, in quem ipſe ſe pronum eſſe intelligebat, laederetur. Tandem intra acutorum tempus morbus decurrit. Alii ſub vehementiſſimarum

marum conuulſionum acceſſu, alii, qui diu videlicet has aerumnas paſſi atque viribus omnibus paene exhauſti ſunt, placidi & quieti mortales eſſe deſinunt. Quod ſupereſt, aegri ſaepe, ſi fides eſt habenda adſtantibus, breui ante mortem tempore, vaticinantur & mortis horam praedicunt. Generatim autem notandum, ſymptomata hydrophobiae paene in ſingulis aegris, acceſſionis tempore, numero, gradu, duratione & natura multum differre. Quam etiam ob rationem fieri vix poteſt, vt hiſtoriam morbi, quae omnibus ſatis accommodata ſit, conſignes, vtique cum, quae vel maxime eſſentialia eſſe putantur, ſymptomata, ipſaque hydrophobia, interdum abſint *). Idemque dicendum de iis, quae in denatis per Anatomen deteguntur **).

§. V.

Sic igitur decurrit fere dirus iſte morbus, cuius verus ortus eidemque innixa eum curandi ratio huc vsque optimorum atque doctiſſimorum quorumvis Medicorum ingenia, quod ſane maxime dolendum, ſine fructu exercuerunt.

*) Ungnad vom Maywurm; Züllich. 1783. 8. Seit. 52. idem confirmat.

**) Vid. LAYARD, ANDRY, PORTAL, al. STOLL *Rat. med.* III. 443.

runt. Nos igitur, his illorum parum prosperis tentaminibus cauti facti, non ea sumus audacia, vt symptomatis aut, si mauis, morbi huius causſas, symptomata & effecta noua aliqua hypothesi explicare velimus. Praeuidemus enim facile, nostra opera, etiamsi vel maximam adhibeamus, nihil certi atque explorati erutum iri. Hydrophiam enim ad passiones stricturae, vt cum COELIO AVRELIANO loquar, pertinere, verissimum quidem est; qui vero fiat, vt cerebrum & nerui a veneno rabidi animalis, ratione prorsus singulari mutentur, vix ac ne vix quidem definiri potest. Sunt, qui ei naturam alcalinam aut putridam tribuant; sunt, qui acidam *). Nec deesse puto, qui omni id acredine carere, solumque neruos, innata vi, tendendo veluti irritandoque, effectus producere suos affirment. Modus etiam, quo propagatur, latet **). In tanta autem horum omnium similiumque obscuritate, hoc tamen certum est, quod Medicum, curaturum hominem, canis rabidi morsu laesum, eo adniti oporteat, vt ingressum veneni in corpus impediat,

*) *Io.* HEYSHAM Dissert. de *Rabie canina*; Edinb. 8. Vid. Medic. Commentarien einer Gesellsch. der Aerzte zu Edinburg; Th. V. Seit. 44 flg.

**) Unzers Einleitung zur allgem. Pathol. der ansteckenden Krankheit.; Leipz. 1782. 8. var. loc. v. g. pag. 160 fllg. Ungnad l. c. Seit. 58 fllg.

pediat, iam ingreſſum autem quantocyus aut expellat iterum, aut infringat, & ſtricturae, vt ita dicam, neruorum medeatur. Quibus propoſitis, percurramus iam aliquas hydrophobiae curandae methodos *); poſtea Meloen maialem ac proſcarabaeum, adductis obſeruationibus & experimentis nouis, cum propriis, tum alienis, laudabimus eiusque efficacitatem contra rabidorum animalium virus euincere annitemur; tandem Meloes deſcriptionem adiiciemus.

§. VI.

Medicaminum, contra hydrophobiam commendatorum, magna quidem farrago eſt; maior autem pars ſuperſtitionem redolet, vt hepar canis rabidi ſiccatum, eiusque crines, quae pharmaca, in quibuſdam regionibus, morſis prophylactice dantur. Alii combuſtos aſtacos vel cancros fluuiatiles, radicem roſae caninae &c. aegris propinarunt. Nobis vero omnia haec, quamuis vehementer extollantur, vel ad nociua, vel ſaltim ad inutilia parumque pro-

*) Accuratius pleniusque has recenſuerunt ANDRY (Auszüge aus den besten franz. period. — Schriften; III, 132. flg. IV, 252. flg.), *Layard* (Versuch über den tollen Hundsbiß, aus dem Engl.; Leipz. 1778. 8.), Portal (Bemerkungen über die Natur und Heilung der Wuth vom Biß toller Thiere; aus den Franz. Leipz. 1782. 8.), STRVVE (Diſſ. *de Rabiei caninae therapia*; Lipſ. 1774.), & plur.

proficua pharmaca pertinere videntur. Maiorem vtique virtutem habent ea, quae, elicito ſudore, corpus expurgant, qualia mithridatia, theriacae, & id genus alia medicamina ſunt. Eandem ob rationem PALMARII puluerem *), qui ex aromaticis atque amaris herbarum foliis paratur, & ad dimidiam drachmam varie propinari ſolet, in leui infectione aliquid valere, improbabile non eſt. Idem de puluere *Tunquinenſi*, cuius praecipua vis ex Moſcho deriuanda videtur, haud dubie valet. Ab eo enim ſi diſceſſeris, quod ſudorem producat, vim, cui fidere poſſis ſecure, habebit vix vllam. Tenendum autem, horum medicaminum vim pro temporis, quo praebentur, ratione multum differre. Morbi enim primordiis ſi opponuntur, forſan vtilia eſſe poſſunt, eoque hoc magis, quo certius ab ipſis venenum ad locum vulneratum conuocatur; contra, cum virus erumpens ſuae praeſentiae phaenomena iam exſerit, longe mihi minus ſalutifera eſſe videntur; nam virus, intimius iam ſuccis aegri admixtum, per ſudorem haud facile ſe eiici patitur, verum in neruos tam terribili ſaepe ratione ſaeuit, vt, ſpaſmos in cute vehementes producendo, exitus ipſum ſibi viam praecludat. Quapropter remedia, quae non ſudo-

*) De hiſce medicamentis vid. ANDRY, LAYARD, PORTAL, STRVVE ll. cc.

ſudorem modo mouent, ſed vi etiam ſopiente gaudent, maiorem vtique laudem mereri videntur. His Belladonna accenſeri debet *). Num alcalia etiam volatilia, a quibuſdam laudata **)? – Sialagoga mercurialia, externa, interna, varia, nec pauci, nec incelebres Medici commendarunt ***). Neque vero, in horum vſu, vnum ſibi omnes, quem conſequerentur, propoſuerunt finem. Quidam enim hydrophobiam ad morbos verminoſos referunt, vt DESAVLT †); alii viſciditatem humorum, in hydrophobis accuſatam, mercurialibus oppugnant; nonnulli veneni hydrophobici extinctionem ab iis ſperant; ſunt denique, qui ſaliuam prae caeteris liquidis in hydrophobia affici, hancque affinitatem quandam cum morbis venereis habere dicant. Non vacat iam ad ſingula haec argumenta reſpondere; notare hic ſufficit, mercurialia quidem, in haud paucis hydrophobiae caſibus, profeciſſe

*) Richters chir. Bibl. V, 386. 557. *B. Fr.* MÜNCH Diſſ. *de Belladonna efficaci in rabie canina remedio*; Goett. 1781.

**) ANDRY, PORTAL. ll. cc. Ausz. franz. per. Schrift. I, 196.

***) Vid. Auct. modo laud. & KALTSCHMIED Diſſ. *de Saliuat. mercuriali cen indubio praeſeruationis & curationis remedio aduerſus rabiem caninam*; Ien. 1760.

†) Diſſ. *ſur la Rage avec la method.* &c. Bourd. 1738.

ciſſe *), interdum autem ſpem feſelliſſe, neque igitur ea ſemper impedire, quo minus aeger hydrophobus triſtiſſimo mortis generi ſuccumbat **). – De *emeticis* & *purgantibus* non eſt, quod multa diſputem. Equidem ea, veneni exterminandi cauſſa, numquam adhibenda eſſe cenſeo, idque non tantum propter nobilitatem & ſenſilitatem locorum, ſed propter id etiam, a quo commendationis argumentum ducunt. Etenim venenum hydrophobicum, ſi ſponte id iam ſua in canalem alimentorem ruit, ab hoc potius nos auertere & repellere, quam ad eundem deriuare oportet. Accedit, quod blandiora eiiciendo veneno vix paria haberi poſſint, fortiora autem ſtricturam partium ciere, augere valeant. Neque vero haec, auxiliorum genera plane reiicienda eſſe cenſeo; eſt enim, vbi aut cruditas gaſtrica, aut actio remedii antihydrophobici ea poſtulet ***). – *Diuretica* caeteris fere omnibus palmam praeripiunt. WERLHOFII, viri optimi, remedium notum eſt & a multis celebratur. Meloe maialis & proſcarabaeus potenter vrinam pellunt, vnumque ſimul e praeſtantiſſimis antihydrophobicis ſiſtunt. Taceo alia. Commodius-

*) Vid. Auct. laud. add. Murray medic. prakt. Bibl. III, 374.

**) STRVVE l. c. §. XVI. MÜNCH. l. c. pag. 27.

***) MÜNCH l. c. pag. 44.

diusque ſaltim per vrinae vias, quam quidem aut per loca ſaliualia, aut per primas vias venenum hydrophobiae eiici, omnia ſuadent – *Venaeſectionem* ſimiliaque remedia euacuantia mitto; nam curationem numquam abſoluunt, interdumque nociua ſunt. – *Vulneris* autem *tractatio* merito ſibi hic locum vindicat, vbi de euacuantibus ſermo eſt. SCHMVCKERI methodus caeteras videtur antecellere. Cantharidum enim puluis, vulneri inſperſus, inquinamentum non ſolum ad externa loca deriuat ibidemque retinet, ſed reſorptus etiam, in organa vrinae agit, virusque, forſitan iam reſumtum, expellit per ea. Nec videtur mihi curandi haec ratio ideo ſuſpecta haberi poſſe, quod virus ea in varia & a ſe diſſita loca vocatur; obſeruata ſiquidem & recenſita in ſuperioribus morbi erumpentis phaenomena ſuadent, virus morbi in loca interiora non minus, quam in vulnus agere. Verum quidem eſt, quod vis cantharidum irritans nocere poſſit iis, quibus neruos ſenſiliores aut Natura elargita eſt, aut morbus impertiuit; ſed haec incommoda non ſolum minui, ſed nullo etiam modo cum horrifico hydrophobiae malo comparari poſſunt. Denique plurima obſeruata efficacitatem huius methodi comprobarunt.

§. VII.

Haec de euacuantibus. Anne vero ſpecifica ſunt, quae venenum hydrophobicum, extinguendo id, infringant? Dubito ſaltim; neque vllum hucusque remedium inuentum, de quo tuto & absque haeſitatione aſſirmes, hydrophobiam ſine vlla euacuatione eo ſublatam eſſe. Quibus igitur derelictis, ad ea me conuertam, quae ſtricturae partium medentur. Videntur balnea quaedam huc pertinere; terrorem enim aut ſimile quid efficiendo, genus neruoſum concutiunt eiusque actionem aliunde dirigunt. Vt itaque terror febres intermittentes, ſic balnea iſta hydrophobiam ſanare poſſent. Sed a dubio remedio abſtinendum eſſe puto. Emollientia, olea empyreumatica, opium & opiata, camphora, ſimilia, eandem ob rationem a nonnullis in vſum vocantur. Flores quoque Zinci & limatura cupri *) huius loci ſunt. Qua quidem occaſione non poſſum, quin lacunam quodammodo expleam, quae in libello clar. VNGNAD **) apparet. Trochiſci, quos vendit venator iſte, cuius meminit VNGNAD, componuntur ex farinae fabarum atque aurichalci limatur. aa ʒj. cum Roob Sambuc. ʒß in trochiſcorum formam redacta.

Hoc

*) LOESEKE *mat. med.* Seite 388. Ex obſeruatione Illuſtr. COTHENII.

**) Seit. 29.

Hoc medicamen Vir fide dignissimus, summe Reuerendus Senior Olsenensis, qui illud ex eodem fonte, quo venator, hausit, mecum communicauit atque, vt tutissimum praestantissimumque, depraedicauit. Vrinam potenter, fere vt Meloe maialis, mouere dicitur. Facile caeterum patet, remedia haec eatenus tantum laudem veram mereri & securitatem aegro promittere, quatenus aut ipsa euacuant, aut euacuantia alia in subsidium vocantur.

§. VIII.

Recensitis iam, quanta fieri potuit maxima breuitate, remediis variis, quibus, vel falso, vel vere aut cum aliqua saltim veritatis specie, vires antihydrophobicae adscribuntur: superest, vt de Meloe maiali & proscarabaeo, cuius caussa hactenus dicta allata sunt, verba faciam, eundem contra hydrophobiam commendaturus. Non nouam esse hanc medicinam, sed a longo iam tempore cum aliis aegritudinum speciebus, tum hydrophobiae sanandae, a Medicis & medicastris adhibitam esse, nemini nunc ignotum est & a pluribus dudum, non sine vano non numquam eruditionis apparatu, animaduersum *). Sed euiluit inter Medicos, la-

 bente

*) Auszüge aus den besten franz. period. Schrift. III, 193. Etwas über und wider den tollen Hundesbiß; Hamb. 1782. & al.

bente tempore, id auxilium adeo, vt ab ipſis aut omnino negligeretur paeneque deſpiceretur, aut ſaltim non pro merito laudaretur, inter ruſticos tantum viliorisque conditionis homines, in quibusdam certe regionibus meaque etiam Sileſia, honorem qualemcunque ſuum & dignitatem non retinens ſolum, ſed quotannis etiam augens. Quamuis vero huius medicinae vſus vix vmquam ita inualuerit, vt praeparatum eius in officinis pharmaceuticis exſtaret, ſed opilionibus atque plebeculae fere relictus fuerit, atque ob id ipſum huius admodum efficacis remedii laudi famaeque quidquam detrahi videri poſſit; haud tamen arduum eſt, rationes, quas propter hoc ita factum ſit & acciderit, aliquas ſaltim, afferre. Atque primo quidem Meloe, in libris quondam obſcurioris & dubiae famae theotiſce editis multum contra hydrophobiam commendatus, eo quidem facile ad plebis notitiam peruenire interque eius domeſtica auxilia referri, vel ob id ipſum autem a Medicis, qui nimium ſaepe iſtiusmodi commendationes & auxilia odiſſe ſolent, ſperni atque vt remedium, ab imperitis modo & ab arte medica alienis hominibus laudatum adhibitumque, reiici demumque paene obliuioni tradi potuit. Accedit, quod hydrophobia, a morſu rabidi canis oborta, rarius multo Medicis, quam medicaſtris & ouium

paſto-

paſtoribus, gentis ruſticae, vt ita dicam, archiatris, curanda obueniat. Nam ruricolae, morſui canis rabidi caeteris hominibus frequentius expoſiti, non Medicos, ſed, vt notum eſt, opiliones conſulere horumque auxilium in iis potiſſimum morbis, qui cito decurrunt & a lapſu, morſu &c. oriuntur, implorare ſolent. Quo factum eſſe videtur, vt, quamuis inter gentem ruſticam laudes remedii manerent & increbeſcerent, hoc parum tamen curarent Medici, maxime cum, ſenſim inter arcana relatum, horum ſeſe notitiae & cognitioni ſubduceret. Forte etiam medicaſtri, vt vſus rerum paſſim docuit, maius, in paranda hac medicina, ſtudium, quam aut Medici aut pharmacopolae, adhibebant. Nam opilionibus caeterisque huius conditionis hominibus nihil magis curae cordique eſt, quam vt oleoſum aut vnctuoſum illud Meloes principium conſeruent, eaque propter ipſi & adhibita ſumma cautela vermes iſtos capere ſolent; pharmacopolae contra aut Medici tempus fortaſſe in venandis hiſce animalculis, quae ſolitaria repere ſolent, aut nolebant terere, aut etiam, aliis negotiis diſtracti, non poterant, ſed a ruſticis ea & aniculis, vt alias quoque fieri ſolet, oblata emebant; hi vero parum forte in iis capiendis cauti, vermes, manibus eosdem contrectando, ſalutifero ſuo ſucco orbabant, parandaeque igitur inde me-

dicinae occaſionem dabant, quae ea, quam opiliones parare ſolent, virtute longe inferior eſſe, hincque demum Medicorum attentione indigna euadere debebat. Neque alia huius omiſſionis neglectusve argumenta deſunt, vt: inuenta alia plus minus efficacia remedia antihydrophobica; cantharidum potiſſimum vſus ſurrogatus; neglectum, etiamſi magnum & intellectu facile diſcrimen, quod inter ſcarabaeum maialem & vermem maialem intercedit, forteque theoriae variae, de hydrophobia conditae, quibuscum Meloes vſus auctoribus parum conſiſtere videbatur.

§. IX.

Sed horum quidquid veritati magis conſentaneum eſſe putes, id tamen certum eſt, Meloen, inde demum ab aliquot annis, omnium, quibus ſtudii medici incrementum curae eſt, oculos iterum mentesque in ſe conuertiſſe. Ex quo enim Sapientiſſimus non minus, quam Clementiſſimus Rex noſter, FRIDERICVS MAGNVS, cuius paternus erga ſubditos amor non tantum ſecuritati totique rerum gubernationi proſpicit, ſed de ſanitate quoque eorum, quibus imperat, aſſidue & quam optime meretur, anno huius ſeculi ſeptuageſimo ſeptimo *)

a

*) Vid. §. I. Idem dein multis aliis libris inſertum.

a ruricola Silesio remedium quoddam specificum contra morsum rabidi canis, cuius compositionem Meloe maialis & proscarabaeus potissimum ingrediuntur, redemerat redemtumque clementissime diuulgandum iusserat: mirum in modum id remedium Medicorum animos exercuit & ipsum varios, iniquos partim, partim aequos iudices nactum est. Breuiter id recenset ANDRY *), non omissis tamen, quae in laudem eius affert, obseruatis; paucis quoque eius mentionem iniicit PORTAL, seque ei parum fidere palam quidem, non addita tamen ratione fatetur **); additionem plumbi vituperat, qui LAYARDI libellum theotisce reddidit, Theriacam contra, quae opiatum sit, Meloën, cuius vis ad Moschi virtutem medicamentosam accedat, radicem denique Serpentariae virginianae, quae Camphorae similis sit, laudat, hactenus saltim, vt efficacia ea esse auxilia iudicet ***); dosis incertitudinem potissimum in eo reprehendit *illustr.* MVRRAY eamque eo aegrius fert, quo potentior sit Meloe medicina, quae etiam mortem inferre queat †) id,

*) Ausz. der besten fr. period. Schriften; III. 195 - 197.

**) l. c. Seit. 201.

***) Seit. 165. flg.

†) Medic. prakt. Bibl. III, 643.

id exemplo, ad quod prouocat, illustrans *); accerrime id carpsit clar. FRITZE **) idemque, alio loco ***), adducto exemplo, inefficaciae arguit; benignius autem de eo sentiunt DEHNE †), *de* FRITSCH ††) & VNGNAD †††), VV. cll., non ideo tamen aut omnia in eius mixtione, aut eundem exhibendi modum probantes.

§. X.

*) Goett. gel. Anz. Zug. 1778. St. 46.

**) in Promt. Hannou. rec. in scr.: Etwas über und wider den tollen Hundesbiß; hanc enim epistolam ad se auctorem pertinere, fatetur in Annal. med.

***) Medic. Annalen u. s. w. I. B. Seit. 355. Vid. quem laudabo, cl. VNGNAD libell. pag. 86.

†) Etwas über und wider den tollen Hundesbiß. Seit. 39. flg.

††) Geschichte der Hundeswuth, samt den Beobachtungen über die Wirkungen der Meloe, bey Gelegenheit der im August 1780 von wutenden Hunden gebissenen Personen — Von Joh. von Fritsch — Wien 1781. Vid. VNGNAD pag. 81. sqq.

†††) Der Mayenwurm, ein Mittel wider den tollen Hundsbiß, gegen Einwürfe vertheidigt und durch einige Beobachtungen bestätiget, von Christ. Samuel Ungnad — Züllichau, 1783.

§. X.

Equidem non is ſum, qui vllo ſe modo cum Viris, quos laudaui, egregiis, fama, eruditionis laude meritisque in orbem litterarium tam claris, comparare aut poſſit, aut velit; attamen a me ipſe impetrare non poſſum, vt ea omnino damnem, quae vera eſſe per obſeruata mihi cognouiſſe videor. Non fugit me, haec de hydrophobia & efficaci in ea Meloes virtute obſeruata, vix vmquam ad eum, quem optes, certitudinis gradum euehi poſſe, quod recte etiam monuit clariſſ. VNGNAD *). Putasne autem, non plurima in praxi medica eadem diffi-

*) l. c. Seit. 36. flg. Veriſſime etiam aſſerit (pag. 37. coll. p. 47.), metum aquae haud ſemper in rabidis canibus obſeruari, idque, nouo exemplo adducto, comprobat. Simile exemplum mihi narrauit, cum Lipſiae degerem, ouium paſtor, cuius filium canis, vix e flumine emerſus totoque adhuc corpore madens, momorderat, lethali hydrophobia inſequente. — Non poſſum, quin hac occaſione opinionem praeiudicatam afferam, in qua multi e plebe verſantur. Etenim canem rabidum non niſi vno oculo videre, alterum caecutire arbitrantur. Nos vero variis iisdemque certis experimentis edocti ſumus, vtroque eum oculo valere, cum eo tamen, vt, propter perturbationem & ſtuporem, quae diſſita ſunt, ſaepe minus attendat, ſed in propinqua modo ſibi obuia irruere tentet. Qua propter ruricolae in patria mea, ſi obuiam veniunt cani rabido, de via tantum, quantocyus poſſunt, declinant, ſicque breui e periculo euadunt; canis enim rabidus viam plerumque rectam proſequitur. Eſtne forte inde opinio de caecitate canum rabidorum repetenda?

difficultate premi? Caue etiam, ne prae nimia ſapientia nodum in ſcirpo quaeras. Etſi enim dederim tibi, haec, quae dixi, obſeruata, ſi ſingulatim conſiderentur, dubitationi locum relinquere; nego tamen, coniunctim ſpectata eidem vitio ſubiecta eſſe. Nam in omnibus, quantumvis numeroſa ſint, vel fraudem, vel fallaciam obtinuiſſe, ne ſpeciem veritatis habet. Forſan etiam hoc, quod dicam, fiduciam addet remedio, cuius commendationem ſuſtineo. Demorſi in patria mea a rabido cane non multum ſibi a caſu iſto timent, ſed, vacui paene ab omni angore, tranquillo animo opiliones adeunt aut aduocant, omnesque, quantum ego comperire potui, adhibita iſta medicina ſanantur. Potuiſſetne, quaeſo, remedium inefficax aut anceps hanc ſibi laudem & aeſtimationem comparare? Putasne remedium, non per multa millia obſeruata comprobatum, ſecuritatem potuiſſe & tranquillitatem mentibus inſtillare, idque in diriſſimo, quod imminet aegris, malo? Neque ſane rabidorum canum in patria mea infrequentia exempla ſunt, adeo, vt etiam Optimus Maximusque Rex cum de canum diminutione, tum de prophylactica hydrophobiae in iis curatione, quae lyttae ſ. vermis reſectione abſoluitur *), ſapientiſſime cogitauerit.

§. XI.

**) Summam tabulae, ſi placet, legere poteris in vtili libro, qui inſcribitur: D. Gottfr. Daniel Schrebers Samm-
lung

§. XI.

Obſeruatio prima.

Ad obſeruata iam veniendum eſt. Ordiar autem ab ea obſeruatione, quae ad me ipſum pertinet quaeque me ad ſcribendum de hac materie maxime inuitauit. Ipſe enim ego quondam Meloes proſcarabaei ſpecificam virtutem expertus ſum; nec incongruum igitur eſſe puto, hanc obſeruationem caeteris praemittere. Decem & quod excurrit annos natus eram, cum, comite vno e dilectiſſimis fratribus, per hortum paternum ambularem, optimo patri, qui tum in

lung verſchiedener Schriften, welche in die oekonomiſche Polizey und andre Wiſſenſch. einſchlagen; Halle. 1755. Th. II. S. 239. Cui formulam medicinae contra hydrophobiam adiunxit. Simile mandatum in terris ſaxonicis praeterito anno promulgatum. De lyttae autem, ſeu vermiculi in lingua canum, exemtione, quod tam varie ſentiant docti homines, eſt omnino, quod doleas. Nam ſunt, qui rabiem ea certo praecaueri cenſeant; alii, dempto mature vermiculo, canes quidem rabioſos fieri, at vero non in aliam rabiei ſpeciem, quam eam, quae abſque vero furore eſt quamque die ſtille Wuth vocare ſolent, incidere poſſe, autumant; denique quorundam animus eo inclinat, vt hanc omnem de lyttae exemtione opinionem ad fabellas referant. Vid. SCHREBER l. c, pag. 305 ſqq. qui etiam cautiones, ex venatorum relatione exhibet, in reſectione frenuli obſeruandas; MORGAGNI *de ſedib. & cauſ. morbor.* Epiſt. VIII. 34 ſeq. LAYARD l. c. pag. 24. ſeq. & al. Prophylaxin hanc, in canibus vſurpatam, ſecuritatem non promittere, exemplo didici, quod ab amico relatum accepi. Neque res ipſa rationi ſatis conſentanea eſſe videtur.

in templo ſacra faciebat, obuiam iturus. Vix vero hortum ingreſſus eram, cum improuiſum me canis maior inuaderet, humi in fuga correptum proſterneret, dilaceratisque, quibus indutus eram, ocreis, vulnera quinque variis extremitatum inferiorum locis mordicus infligeret. Neque vero hac inferiorum extremitatum dilaceratione exſatiatus, aggredi quoque faciem tentabat; hanc autem cum manibus admotis obtegerem, impetu in brachia directo, haec miſere dilaniabat. Quae dum fiunt, optimus frater, qui ſocius erat, canem petebat terreis glebis, quo eum a me auocaret; neque male hoc conſilium ceſſit; me enim relicto, ruebat canis in fratrem, mihi ſic elabendi ſpatium concedens; fratri vero, per horti ianuam ſe ſubducenti, praeter veſtis dilacerationem, quam in ipſo limine arripuerat, detrimenti nihil attulit. Iam vero cum in horto ſaeuitiae obiecta nulla amplius eſſent, horto egreſſus irruit canis in concionem ex templo redeuntium colonorum, primumque aedituum, poſtea duas mulierculas & quatuor ruſticos, denique aliquod alios canes mordet; quibus peractis enecatur. Ego vero clamo, eiulo, matrique caſum meum multis lacrymis enarro, triſtis caeterum in domus atrio conſidens. Igitur opilio aduocatur, isque ſequenti demum die (nam ex eius ſententia ieiuno haec medicina propinari debuit) bo-

lum

lum ex vno verme cum melle ſecundum eam, quam ſequebatur quamque infra indicabimus, electuarii praeparandi formulam, ſeptima matutina mihi exhibuit, & ab omni me cibo atque potu abſtinere iuſſit. Vix horae vnius ſpatio elapſo, ſenſi primum dolorem obtuſum in lumbis, quem paulo poſt vix tolerabilis ſtranguria ſequebatur, ita, vt lotium ſpiſſum, quaſi mucilaginem gummi alicuius vel oleum referens, guttatim fere per totius diei longitudinem continuo, cum ardoris acerbiſſimo ſenſu, deſtillaret; ſanguinis vero ne vllum quidem veſtigium obſeruari potuit; natabant potius inter multas aerumnas excretae, exiguae guttulae in matula diſcretae, de quo ſymptomate, vti optimo feliciſſimumque morbi euentum praenunciante ſigno, omnes mihi familiaeque meae gratulabantur. Veſperam verſus mitiora fiebant ſymptomata, triſtitia remittebat, atque vrina incipiebat pleno riuulo ſcaturire, quo etiam tempore opilio cibi iterum potusque vſum mihi conceſſit. Nox inſequuta tranquilla, adducto grato & quieto ſomno, reliquas diei aerumnas leniebat. Ad vulnera vero quod attinet: iis inde ab ipſo eo tempore, quo illa acceperam, poſt abluitionem, nihil aliud quam ſacchari puluis, cum croci pauxillo remixtus, aliquoties inſpergebatur, hocque modo, adhibita ſimul ſimpliciſſima deligatione, intra ſeptem circiter dies

ad

ad plenariam consolidationem perducebantur. Neque obseruari poterat tumida illa cicatrix, quam alias vix non semper vulnera, a rabidis animalibus inflicta, non sine hydrophobiae metu relinquunt. Idem euentus fere fuit in omnibus iis hominibus, quos idem canis eodem tempore momorderat; omnes enim salui sospitesque mansere; morsi canes autem, quibus ob paruam copiam electuarii, quod ouium pastori adhuc supererat, idem auxilium adhiberi non potuit, omnes, post breue tempus, in eamdem rabiem inciderunt. Quod ideo potissimum adduxi, vt eorum obuiam irem obiectionibus, quibus forsan, canem huncce rabidum non fuisse, neque ideo, quam enarraui, obseruationem, efficaciam remedii satis probare, obloqui placeret.

§. XII.

Obseruatio secunda.

Quamquam haec summa fide, fidam factorum memoriam sequutus, conscripsi, lubet tamen alios praeter hunc in medium proferre casus, quos intra anni spatium &, vt aetate prouectior, sic melius & diligentius obseruaui. — Sequatur iam historia puellae, quam vnam me puto ex multis, quos rabidus quidam canis momorderat, vsu praedicti electuarii seruasse,

cum

cum reliqui omnes, quos idem animal aggresſum erat, extinguerentur. Irruerat enim canis mediae magnitudinis in pagum, Lipſiae vicinum, cui Groß-Schocher nomen eſt, idemque homines quinque, opilionis filium, de quo in ſuperioribus dixi (§. X. not. *)), cauponis filium, quinque annos natum, piſtorem, virum decrepitae aetatis, ruſticum quendam, tandemque coloni cuiusdam filiam, quae lac eiusque cremorem ad vrbem quotidie adportabat, variis quidem in locis, aequali tamen fere ſaeuitia, morſu vulnerauerat. Vulnera haec in omnibus quidem, qui demorſi erant, ocyus ſerius cicatricibus obducebantur; nihilo tamen minus omnes poſt ſeptemdecim ſeptimanas, dira hydrophobia, vna illa puella, de qua nunc ſermo eſt, excepta, citius tardiusve extinxit. Puella, cum reliquorum morte terrefacta, tum maxime a ſuſcepto intus miaſmate irritata, eo ipſo tempore, quo opilionis filius hydrophobus decumbebat, triſtis pallida & toruo vultu incedens, ſibi ipſa ſimile fatum praedixit, vtique cum vulnus ipſi inflictum profundius eſſet. Acceſſit aerumnis hiſce nouus terror, quem mors piſtoris ei incuſſit; hanc enim cum comperiſſet, vehementius eiulare, ſolitudinem quaerere & peſſime ſe habere coepit. Equidem de his certior factus, & ſymptomata puellae cum iis comparans, quae ipſi

ipſi & aliis vna demorſis acciderant, de imminente iam hydrophobia dubitare non potui. Suaſi igitur matri (nam haec commemorauerat praedicta), vt, quantocyus poſſet, electuarium Meloes, ab optimo *Galliſchio* ea, qua pollet, dexteritate paratum, emeret, emtumque filiae deuorandum praeberet. Emitur, praebetur. Vſum ſequuntur ſtranguria ſumma, lateritiae vrinae dolorificus mictus & reliqua, quae inde mihi accidiſſe ſymptomata, in ſuperioribus retuli. Altero die domi manſit, idque ob debilitatem, quam nerui contraxerant, tertio vero laeta & omnino reſtituta Lipſiam reuerſa, omnia ita, vti praedixiſſem, eueniſſe mihi enarrauit. Metum hydrophobiae in hac puella non vanum fuiſſe, omnia ſuadent. Capitis enim dolores iam admodum increuerant, quaeque iam quatuor noctes fere inſomnis tranſegerat aegra, ſuſpiria frequentiſſime edebat ſolitudinemque amabat. Vulneris locus non parum dolebat, leuiori inflammatione ſimul accedente, quae, quamuis ſuperficialis tantum eſſet, nihilo ſecius tamen radios ad humeri caput vſque agens, anguem ſub herba latere mihi indicabat. Intellexi porro ex eiusdem puellae narratione, dolorem, in brachio ſaeuientem, eo fere temporis momento velut a vento, vt loquebatur, diſpulſum eſſe, quo vrinae ſtillicidium incepiſſet. Ab hoc tempore autem, ad

hodi-

hodiernum diem vsque, optime valuit, integerrimaque ſanitate gaudet, quod, nuper per Lipſiam inter faciens, non ſine laetitia accepi, de hac prima, quae obtulerat ſeſe mihi, curandi occaſione integerrime gauiſus. Nullum igitur dubium eſt, quin imminuerit huic puellae hydrophobia, idemque eo etiam confirmatur, quod reliqui quatuor, ab eodem cane morſi, ex iiſdem morbi principiis, in hydrophobiam inciderint.

§. XIII.

Obſeruatio tertia.

Attamen erunt forte, qui de rabie huius canis dubitent, quamuis, ad id credendum, hydrophobica morſorum mors, ſufficere mihi videatur. Ne igitur in hac parte mea qualiscunque diſquiſitio manca ſit ac imperfecta, adducam ſequentem, quem ſtudioſe & ſumma cum accuratione obſeruare mihi licuit, caſum.

Menſe Decembri a 1782 ludimagiſtri Rakienſis pagi, haud longe Vratiſlauia diſtantis, non exiguae magnitudinis canis, antea manſuetiſſimus, nunc rabidus factus ludimagiſtri affinem, puerum vndecim annorum, absque data aliqua cauſſa, vt irritatione, vehementer momordit, vulnusque cruentum, non adeo qui-

dem profundum, ſatis tamen latum inflixit. Idem iam ante, quam puerum hunc laederet, in quatuor homines vnumque canem irruerat; illis nihil detrimenti attulit, niſi quod calceamenta atque veſtimenta dilaceraret; cani autem, qui fratris mei domeſticus eſt, vulnus quidem inflixerat, ſed is, ob datum electuarium, ſanus manſit & adhuc viuit.

Poſtquam ego, in auxilium vocatus, pueri curam ſuſceperam, ſtatim, vt canem, ſi poſſent, viuum captum camera includerent, ab eius loci hominibus petii. Perfecerant etiam hoc, neſcio quo modo, eratque in eius noui habitaculi ianua foramen eo modo inſculptum, vt per hoc cani & nutrimenta praeberi, &, quaenam ipſe ageret, a me obſeruari poſſent. Summa in vorando auiditas, qua in ſtatu ſano praeditus fuerat, adeo in anorexiam tranſmutata erat, vt per quinque dies, quibus in hocce carcere continebatur, neque bucceam carnis coctae, cuius antea auidiſſimus erat, nec potus guttulam adſumeret. Curſitando potius omne tempus tranſegit, in omnia ei obuia vtenſilia mordicus irruens, quod ego ſaepius, per ſuperius commemoratum foramen introſpiciens, obſeruaui. Quinque dierum ſpatio abſoluto, per idem foramen plumbea glande traiectus fuit; nam rabiei ſigna certiſſima apparebant, reſtitutionis

vero

vero nulla ſpes ſupererat. Cum vero ſclopetum eum in finem per ianuae hiatum immitteretur, in hoc etiam irruens anteriorem canalis partem momordit, quaſi vindictam de inferenda nece ſumens. Quamuis vero per fauces glans penetraret, vulnusque ſatis magnum eſſet, tamen neque timoris metusue ſigna oſtendit, neque eiulauit, verum primo ſtans, deinceps concidens, mortem exſpectauit. Collapſus mortui ſpeciem prae ſe ferebat; nihilo minus, aperta ianua, vltimum collectis, quae ſupererant, viribus, ſurrexit, dominum ſuum inuadens, qui eum tamen fuſte facile enecabat.

Taciturnitas ſub doloribus, vt id hac occaſione moneam, vnum e certiſſimis rabiei caninae ſignis mihi eſſe videtur. Nam reliqui omnes rabidi canes, quod ſaepe obſeruaui, aeque ac ille, vel vehementiſſima vulnera & plagas muti tolerant, ſani contra quandoque ex leuiori cauſſa miſere eiulant, neque alia animalia facile inſidioſe ac tacite aggrediuntur. Sic Lipſiae cum ſtudiis operam nauarem, accidit aliquando, vt rabidus canis me ambulantem fremente dente peteret. Quamuis vero ſcipione crus ei frangerem crebrioribusque ictibus pulſarem, vt claudus tribus pedibus incederet, mutus tamen manſit mutusque aliis canibus ſibi obuiis vulnera poſtea inflixit. Idem in Sileſia plus vice

ſimplici expertus ſum; obſeruaui enim, canes rabidos ſonum aut nullum fere, aut raucum emittere, quem eiulatum nemo facile dixerit. Quae omnia eum in finem modo adduxi, vt canem vere rabioſum fuiſſe, euincerem.

Puero propinaui electuarium Meloes proſcarabaei in *Kochleriano*, inclyto apud Vratiſlauienſes pharmacopolio, ad collegii medici formulam paratum, ea doſi, quam ſuadente, quod laudaui, collegio, aliquot annis aetate minores pueri ſine noxa adſumere poſſunt; ſiquidem eius tener corporis & neruorum habitus, vehementioris irritationis impatiens mihi videbatur. Nihiloſecius tamen inde dolores in lumbis adeo acres exorti, vt de nephritide producta non parum metuerem. Quapropter emulſionem lenientem, conſopitis, quae mox enarrabo, ſymptomatibus, ſperato cum effectu puerulo exhibui. Verſus meridiem, mane enim ſumſerat pharmacum, poſt nauſeam per crebrum vomitum viſcidae pituitae largam copiam, & cum hac lumbricum eiecit, ſimulque, dolorem mitiorem eſſe, laetabundus aeger profeſſus eſt. Vrina, lateritio colore praedita ac guttatim excreta, tantam floccorum innatantium offerebat copiam, quantam in nullo alio aegroto vidi. Specifica quoque eorum grauitas ſatis magna tantaque erat, vt protinus, cum nimirum vix ex-

creti

creti essent, matulae fundum peterent, & in glomerem cogerentur admodum tenacem; quod phaenomenon, de nati salute quam maxime sollicitam, matrem eo perduxit, vt pomeridiana quarta anhelans mihi renunciaret, filium magnum carnis frustum minxisse.

Ad Meloes efficaciam in puero hoc alia caussa accesserat, ob quam dolores tam vehementer persentiscebat. Nimirum quod adhibebatur regimen iusto frigidius, transpirationem multum impediendo, spasmos adauxerat, vt ea propter ad vropoea viscera delata morbi materies, aucta copia hic decumberet. In vniuersum enim certissimum est, iusto calidius regimen rarius & fere numquam, paulo frigidius vero certo & semper nocere, vel saltem dolores admodum exasperare. Calor enim spasmos soluit, humores, si modicus est, attenuat, neruosque laxat, quorum omnium contraria in frigore fiunt. Nec dissentit experientia; qua, omnia symptomata diaeta frigidiori grauissime exacerbari, edocti, de rei veritate dubitare non possumus.

Vulnus quod attinet, hoc, postquam oxycrato tepido expurgatum atque elotum fuerat, nullam aliam curam, quam simplicem deligationem, poposcit. Non opus enim esse

duxi,

duxi, puerum diu, escharoticis atque pus cientibus adhibitis, excruciare, cum de perfecta curatione satis me certum antegressa symptomata redderent.

Ludimagister ipse, nam in eum quoque canis irruerat eiusque ocreas dilacerauerat, iusta medicaminis dosi vsus est, cuius omnis effectus vero lenissimus fuit, sic, vt pressorium tantum & obtusum in lumbis dolorem sentiret, quod vel robustiori eius naturae, vel calidiori, quo vtebatur, regimini tribuendum esse puto. Plebis enim opinioni, quod Meloes proscarabaei vel maialis electuarium iis modo hominibus stranguriam creet, quorum humores hydrophobico viru infecti sint, eapropter adsentiri nequeo, quod cantharides vel in sanissimis hominibus eosdem effectus producunt; accedit, quod sint, qui huius generis acrimoniarum incredibilem copiam sine vllo dolore, propter idiosyncrasiam, ferant. Sic ab amico me audiuisse memini, se iuueni cantharidum tincturam, ad gonorrhoeam secundariam benignam sistendam, ad XV guttulas praescripsisse, hunc vero, cum morbum inde non leuari vidisset, se inscio, nullis omnino interpositis lubricantibus, ad LXXX gutt. adscendisse & nihilominus de medicinae inertia conquestum esse. Idemque docent cantharides externe, vt vesicans, corpori

impo-

impositae; actione enim & dolore, pro varietate subiectorum, admodum differunt. Electricum quoque fulmen, vt variae aliae, quae in neruos potissimum agunt, materiae, aeque certo id demonstrant. Neque medici facile ea de re dubitabunt.

§. XIV.

Obseruatio quarta.

Eodem tempore canis rabidus alium puerum XV annorum e vicino pago, cui nomen: *Stampen*, manum dextram praemorserat. Casu hoc perterritus pater, quarta post inflictum vulnus hora, filium suum ad me duxit. Vulnere inspecto, illud per integumenta profundius penetrasse, intellexi. Elui illud tepido oxycrato, timidoque puero, blandiendo atque exoptatum medicinae effectum spondendo, animum erexi. Postquam ab itinere per horam aeger vires restaurauerat, sumsit electuarii dosin; cibum enim potumque nondum adsumserat. Vulnus linteis carptis, aquae vulnerariae intinctis & expressis, fasciatum, nec doluit, nec, vt ante, sanguinem fudit. Hypocaustum, quo degebat, calidius fieri puerumque in eo obambulare iussi. Elapsis inde duabus circiter ho[illegible], vrinae stillicidium stranguriamque, non i[illegible] tamen dolorificam, sensit. Minxit per

eum

cum diem atque dimidiam noctem guttatim fere tres libras, sic quidem, vt vrina primo tempore interruptis filis, deinceps guttatim, sed tempore aliquo inter singulas guttas interiecto, tandemque, vna guttula alteram citissime insequente, cum sanguinis leni profluuio, excerneretur. Emulsionis loco calidam bibendam suasi aquam, quam larga quantitate hausit; cuique non immerito nauseam atque vomitum tribuo. Calamitosum huncce diem & vesperam aerumnosam quieta nox excepit, qua aegrotus vires mirum in modum recuperauit, vt altero iam die foras exire & obambulare valeret. Caeterum, cum nihil in reliquo corporis habitu morbosum inuenire potuerim, puero huic, nullam aliam, praeter commemoratam medicinam, dedi; alteri autem, cuius historia hanc praecedit, valerianae syluestris radicem in puluere, vt anthelminticum, sperato cum effectu praebui, siquidem vltra octo lumbricos deiecit.

§. XV.

Obseruatio quinta & sexta.

Liceat his meis obseruatis aliquot historias adiungere, quas humanitati Viri egregii *Ioann. Gottfr.* ZOBEL, Physici Goldbergensis, debeo. Ne lectori autem molestus sim, dabo eas contractas.

Histo-

Historia I.

Vocor die XXVII m. Iul. a. 1780., vt ludimagiſtri W. XLV ann. hyrdophobi curam in me ſuſciperem. Eius vero canis ante quatuor hebdomades rabidus factus felem momordit, rabidumque reddidit; vterque vita priuatus eſt, vt tamen ille ludimagiſtri femur mordendo antea laederet. Quo facto, idem ſanus huc vſque, die XXIV. m. Iul. hora 3. pomer. conuulſionibus correptus eſt, adſtantes autem febrim potius accedere arbitrati ſunt, donec eaedem adeo ſunt adauctae, vt mortem adſtantes metuerent. Die XXV. mane ſanguinem ore reddidit, ſimulque vtramque manum lateri ſiniſtro frequenter adplicauit. Chirurgus aduocatus phlebotomiam bis inſtituit, enema iniecit, ac potionem ex aquis analepticis cum ſale Seignette & ſyrupo papaueris propinauit. Accedens ego, hominem adeo vehementibus conuulſionibus correptum conſpiciens, morbique cauſſam, quam celabant adſtantes, ignorans, obſtupui, atque aegroto venenum, forte cum ſpiritu vini eum in finem arbitrabar propinatum eſſe, vt iidem morem, quo frequenter ſpiritum bibebat, euerterent. Negarunt hoc adſtantes, morbique cauſſa deinde indicabatur. Erant autem ſymptomata huiusmodi. Aegrotus decumbens pedibus ſuis pulſabat lecti pedem, furioſus ſubito ſurgebat, vtramque manum praecordiis vehementer admouebat,

ore

ore ſpumante vexabatur, dentibus ſtridebat, iisdemque linguam labiumque oris inferius laedebat, linguam protrudebat, faciem meticuloſus quaquauerſum diſtorquebat, ab omni potu oblato ſymptomata increſcebant. De hydrophobia facile conuictus, aegroto a die XXVII. Iul. veſperi omni bihorio propinari iuſſi duo cochlearia mixturae ex electuarii Boruſſici vncia ſemiſſe aquae flor. Sambuci vnciis ſex: poſt horas quatuor, vbi conuulſiones perdurabant, oboriebatur mictus cruentus cum ſtranguria, eo tamen effectu, vt hora 3. matutina aeger a conuulſionibus liberatus eſſet, & a grauiſſima, quod iam eloquebatur, anxietate, cuius cauſſam canem eſſe arbitrabatur, eius enim ideam imaginationem ſuam continuo ſuppeditaſſe. Sumſit deinde adhuc per quatuor dies dicti remedii cochlearia duo omni 3-4 horio, atque in dies melius ſe habuit. Die I. Aug. ſumſit infuſum laxans, emulſionem ob ſtranguriam, deinde iulepum roborantem & corticis peruuiani decocta. Sanus inde iam per tres fere annos vixit, licet ab vſu ſpiritus frumenti non abſtineat.

Dedi etiam nouem hominibus, vel a cane rabido iſto demorſis, vel aegroto adſtantibus, praeſeruationis cauſſa, idem remedium, atque in omnibus malos effectus metuendos auerti.

Historia II.

Die II. m. Maii 1781. feminae, XIX annor., vesperi a rabido cane demorsae, vt mane omnia, quae obstabant, commorderet, vulnus aceto saepe elui curaui, & suasi, vt propinarent electuarii drachmam vnam cum semisse, eo effectu, vt, licet mictus cruentus sequeretur, tamen ope dicti remedii, laxantis, emulsionum & decocti corticis peruuiani penitus restitueretur.

§. XIV.

Superessent mihi quidem aliae eiusdem tenoris obseruationes, quas tamen, quoniam sibi simillimae sunt, ne crambem recoctam lectori offeram, silentio premere malui. Venio igitur ad eas, quae nostri medicaminis effectus in morsa iumenta declarant, & quae, me quidem iudice, ob summam animalis oeconomiae analogiam, non vilipendendae sunt. Verum quidem est, ex effectu pharmaci cuiusdam, quem in vno animalium genere exserit, haud semper tuto ad eundem in alio colligi posse; est tamen, vbi consequentia haec locum habeat, tum maxime, quando de potentioribus remediis sermo est, & alia obseruata, quae comprobent eam, accedunt. Praeterea accidit saepe, vt vaccae, colonorum vtilissimum pecus, a rabidis animali-

bus

bus mordeantur, atque, in aquae metum incidentes, mortem, ſummo ruſticorum damno, ſubeant. Igitur haud ſuperflua eſt cura, qua ſaluti earum proſpicitur, vtpote quibus haud raro omnes ruſticorum diuitiae continentur. Eſt & alia cauſa, propter quam, vt equidem puto, rabiem horum animalium attendere nos oportet. Ea enim neglecta, lac vaccae hydrophobae, quod non ſemper labis immune eſſe videtur, in hominum vſus adhiberi iisdemque nociuum euadere poſſet. Sed mittam haec iam, & ad ipſas obſeruationes accedam. Vulnerauerat canis rabioſus vaccam quandam, vulnere talo poſterioris pedis ſiniſtri illato; nemo vero, cum morſus tempore nullus adeſſet, de vaccae periculo ſollicitus fuit; canis ipſe paulo poſt, quam rabidus factus erat, ſclopeto proſternebatur. In vacca venenum hydrophobicum tribus a morſu ſeptimanis elapſis ſaeuire coepit. Cum morbi principium ſuetae epidemicae inflammationis ſpeciem mentiretur, non aliam, quam ſuetam in huiuscemodi morbis, methodum adhibuerunt, praetereaque lac, cum aegrotare vaccam intelligerent, profuderunt. Ciborum abſtinentiam potusque metum, grauiora ſequebantur ſymptomata, quae vaccae poſſeſſorem, vt paſtorem in auxilium vocaret, impulerunt. Hic ex oculorum contorſione, bulbi extra orbitam protruſione,

latice

latice foedo e ſpumante ore exeunte & ſaeuitia in alias vaccas (quae tanta fuit, vt cum cornubus has pedibusque impeteret, catenis vinciri debuerit), vaccam non ſolum rabidam eſſe intellexit, ſed ea etiam rabie teneri pronunciauit, quae, cum nimis iam altas egerit radices, ſpem ſanationis admitteret omnino nullam. In hoc enim miſerum animal illud OVIDII „Pronaque cum ſpectent animantia cetera terram „ neutiquam quadrabat, quippe raucum boatum continuo emittens, ſemper & oris rictum & extortos oculos caelum verſus conuertebat. Qua propter lethali morbo affecta, extinguitur. Iam vero multum timebant de reliquis vaccis, quae, iuxta aegram adſtantes, ex eodem praeſepio ſpumam cum foeno deuorauerant. Quaeſitus de hac re opilio, metum quidem hydrophobiae non vanum eſſe, omnes tamen ſuo remedio, quod Valerianae Phu radicem admixtám habet cuiusque compoſitionem poſtea dabimus, ſanas ſervari poſſe, reſpondit; eratque huic homini in ſuo remedio fiducia tanta, vt, ſi vna e vaccis rabida euaderet, ſe pretium eius ſoluere velle ſponderet. Veſperaſcente coelo (quo tempore aliquae iam caput ſub praeſepium demittere, caudas vage mouere, pedibus calcitrare cibumque ſpernere, coeperunt) ſingulis vaccis iuſtam remedii quantitatem infundi ſimulque, quo magis at-

que melius tranſpirarent, ſtabuli ianuam claudi omniaque ſpiracula exacte obturari opilio curauit. Mane conſuetum potum conceſſit &, vt in prata agerentur, praecepit. Per totam fere noctem admodum inquietae fuerunt, vt mugirent, pedibus calcitrarent & laqueos rumpere conarentur. Cum vero e ſtabulo mane emiſſae eſſent, laetae ſeſe more ſuo mouerunt, atque oblatum paſtum auide deuorarunt; neque vel vna poſtea aut rabie aut alio morbi genere laborauit.

Similis fere caſus in pago *Ebersdorf* prope *Sprottauiam* accidit. Huius enim villae paſtor canem aluit, vt fere habere ſolent, magnum, quem paene moloſſum dixiſſes. Is ſubito & inſciente paſtore rabioſus factus, e grege triginta pecorum. multas vaccas, ſues atque vitulos, &, in villae ſtabulo, equum ſauciauerat. Paſtor, poſtquam canis ſui rabiem intellexerat, eum enecuit, ſtatimque omni demorſo pecori arcanum eiusdem opilionis, qui me ſeruauit olim, deuorandum exhibuit; quo effectum, vt nullum e tota grege vel leuiſſimae rabiei inſultum pateretur. Equus autem, cuius morſum quisque ignorabat, quarta ſeptimana ſaeuire coepit, pauloque poſt rabioſus exſpirauit.

Caete-

Caeterum actio electuarii in quadrupedibus ab ea non abludit, quae in hominibus obſeruatur; illa enim poſt vſum eius, aeque ac hi, guttatim idque continuo lotium excernunt.

§. XVII.

Qui iam commemorata hactenus obſeruata legiſti, optime Lector, quique id eo fine & animo inſtituiſti, vt ad aequam veritatis lancem vim Meloes antihydrophobicam expendere poſſes, fac, memor ſis ſemper cum eorum, quae ante (§. X.) diſputaui de certitudinis gradu, quem aſſequi nobis in his rebus licet, tum ſcripſiſſe me de hac materie, non, vt paucis his, quas recenſui, hiſtoriis, vim Meloes antihydrophobicam efficerem ac demonſtrarem, quod ſane conſilium abſonum fuiſſet, ſed vt auctoritatem medicaminis, per ſecula iam noti & a maioribus accepti, cum optimis Viris, qui bene de illo meruerunt, pro ingenii & experientiae mediocritate, confirmarem atque noſtra hac aetate ab inuidia & contumelia vindicarem. Quod quidem a me eo confidentius ſuſcipi poſſe credidi, quo plures loculentioresque ſuae efficacitatis teſtes id remedium habet, ita, vt vix vllum ſit antihydrophobicum, quod copia ſaltim teſtium, non omnino improbabilium, magis

gis abundet eiue antecellat. Accedit his aliud haud parui momenti argumentum, quod modus operandi ſuggerit. Etenim infinita paene deprehendis in vulgus diſſeminata auxiliorum genera, quae vel ideo damnanda eſſe exiſtimas, quod, quae ipſis adſcribitur, virtus, aut a recta ratione abhorret, aut ſaltim minus eidem bene conſentit; Meloen autem vi antihydrophobica pollere, ratio ipſa ſuadet. Loca enim vrinifera potenter irritat vrinamque pellit *). Quapropter venenum hydrophobicum, ſi quod eſt, ad loca ignobiliora, deriuat, a nobilioribus autem reuellit; expellit quoque idem; genusque neruoſum concitatis ſpaſmis & doloribus inſignioribus, ita conturbat, vt in morem balneorum, de quibus ſupra expoſui (§. X.) aliorumue ſimilium remediorum, characterem, vt ita dicam, hydrophobicum, neruis impreſſum, delere valeat **). Moſchi vim habere (§. IX.), non crediderim; nam irritat vehementer & odor ipſe, quem vnguinoſus exſudans liquor ſpirat, haud vno modo a Viris fide dignis deſcribitur

*) Meloe diureſin plerumque auget. Quandoque autem alias euacuationes ciet. Vid Selle Neue Beyträge zur Natur- und Arzeney-Wiſſenſch. 1 Th. Berl. 1782. 8v. Seit. 5. flg. Ungnad a. O. Seit. 45. Perſpirationem forte ſemper auget, cum calidum ſub eius vſu regimen laudetur potius, quam vituperetur.

**) Conf. pluribus VNGNAD l. c. pag. 73.

tur *). Neque vi Meloes ſoluenti multum, in curando hoc morbo, tribuerem (§. VI.). Is vero, quem propoſui, modus operandi, non ſolum Medicorum obſeruatis reſpondet, ſed cum vulgi etiam, opinione conſpirat. Etenim vehementiam ſymptomatum, quae Meloes vſum in locis vriniferis inſequuntur, exoptatum morbi exitum praenunciare dicunt; neque omnino, vt videtur, male hoc aſſerunt.

§. XVIII.

Meloe vero non ſolum antihydrophobicis accenſeri, ſed etiam aliis praeferri meretur. Vereor quidem, ne, id contendens, riſui me dem aliis, iis ſaltim, qui contemnere auxilia, a ruricolis profecta, honori ſibi ducunt. Sunt tamen, quibus tueri me poſſum, argumenta. Et primo ſalutifera Meloes virtus per numeroſiora obſeruata perque multo longiorem annorum ſeriem comprobata eſt, quam alius cuiuslibet remedii vis antihydrophobica (§. ant.). Deinde Meloes vim duplicem antihydrophobicam poſſidet. Non euacuat enim ſolum, ſed mutat quoque genus

*) Violas redolere, contendunt FRISCH alii; nullum ſpirare odorem DEGEER (Abhandl. zur Geſch. der Inſekten, V. B. Seit. 292. flg.), tetrum (Blumenbachs Handb. der Naturgeſch. Seit. 339.).

nus neruosum (§. ant.). E quo efficitur, praestare eum aliis multis remediis antihydrophobicis, quae nimirum vno tantum modo hydrophobiam soluunt. Deinceps in loca ignobiliora & a propria hydrophobiae sede remotiora, loca vrinifera & cutim, agit (§. ant.); eaque propter sialagogis, emeticis & purgantibus antecellit (§. VI.). Postea Meloes vsu curatio hydrophobiae in pauca contrahitur. Etsi enim, in morbo praecipiti & diro, cautionem eorum, qui plura, praeter Meloen, remedia adhibenda esse suadent, reprehendere nolo *): his tamen non prorsus opus esse, aliorum & ipsa mea obseruata docent. Meloe praeterea breuiori tempore hydrophobiam sanat. Denique fides, quam Meloes virtuti ruricolae caeterique huius conditionis homines adhibent, praetermitti non debet, recte id monente clar. VNGNAD **). – Estne vero Meloe *specificum* antihydrophobicum? crediderim; cum, si non in omnibus, certe tamen in longe plurimis aegris tollendae hydrophobiae sufficiat.

§. XIX.

Modus exhibendi varius est. Quorundam opilionum, qui noti mihi sunt, formulas suc-

*) VNGNAD l. c. pag. 80.

**) pag. 7. 8.

ſuccincte dabo; quam vero Berolinenſe grauiſſimum Collegium medicum ſupremum commendauit, quoniam vbiuis obuia eſt, non adiungam.

Vnus igitur opilionum, qui in pago *Wilſchütz* prope *Lignicium* vitam degit, Meloen proſcarabaeum, vernali tempore collectum capiteque truncatum, melli immergit, ſicque enectos vermes in vſum ſeruat. Si iam medicamine opus ſit, ſequenti modo aliquot doſes parat. Sumit nimirum

Pulv. rad. Valerian. Phu
Agrimon.
Pimpinell. alb.
Viſci Querni aa ℥ß.

Cui pulueri dein Proſcarabaeos decem addit; poſtea maſſam mellis ſ. q. in Electuarii conſiſtentiam redigit, tandemque Roob Sambuci quantum placet addit. E maſſa hac, ſuper ligneum orbem probe mixta, decem doſes parat. Infantibus dimidiam, adultis integram doſin praebet. Poſt ſumtam medicinam, aegrotis aquam & potum, vti in mandato Regio praeſcriptum eſt, interdicit. Si animalibus illud remedium propinat, lacte, vt vehiculo, vtitur,

 homi-

hominibus id crudum, ſub boli forma, deuorandum dat.

Alter ſenum, ſeptuaginta ſex annorum, in pago *Gieſmansdorf*, natali meo loco, commoratur, isque ipſe eſt, cuius quondam electuarium ſumſi. Contractiore remedii compoſitione vtitur, maiorem autem curam in praeparatione eius adhibet. Venatur vermes Aprili & Maio, ſumma adhibita cura, ne vnguen ſuum deperdant; quapropter eos currentes, mediante folio arboris, excipiens, huius ope puro atque vacuo vitro infert, inque eo per nycthemeri ſpatium quieſcere ſinit, vt ſcybala excernant, &, quod ipſe dicere amat, purgentur. Poſtea lignea forcipe ſingulum arripit, arreptum tenet ſuper vitrum, melle ad dimidiam partem repletum, ſimulque forficula cito caput reſecat, reſectum abiicit, corpus vero melle condit. Vermibus LXXX libram vnam mellis admiſcet, maſſamque, vt putredo ab ea aut fatiſcentia arceatur, in locum temperatum ſeponit. Iam vero ſi quis, a rabido cane morſus, eius auxilium implorat, electuarii ſpeciem ſequenti modo parat. Extrahit nimirum e vitro, in quo vermes, vt dixi, conditi ſunt, vermem vnum, eumque cultello ſuper ligneum orbem in minutiſſimas partes diſſecat; quo facto, mellis tantum e ſupra memorato vaſe

vaſe addit, quantum ad pulpae conſiſtentiam ſufficere exiſtimat. Pulpae huic Theriacae Andromachi ſcr. ij Olei Scorpionum gutt. iij vel olei Meloes maialis, per infuſionem parati, gutt. vj., & ligni Ebeni pulueriſati tantillum adiicit; cui denique maſſae Roob Sambuci, vt fiat electuarium molle, admiſcet. In definienda doſi, aetatum varietati accommodanda, ponderis rationem non habet, ſed, cum ei ſemper, e magna vermium, melle conditorum, copia delectus facillimus ſit, aetate prouectioribus magnum atque opimum, infantibus paruum atque macilentum vermem porrigit, praeterea autem pro aetatum ratione, olei & theriacae quantitatem auget minuitve ita, vt infantibus dimidium detrahere ſoleat. Videtur mihi haec compoſitio ſatis bona eſſe, cum ob ſimplicitatem, tum ob egregium, quem ſaepiſſime praeſtitit, effectum. Etenim innumerus fere eſt numerus hominum animaliumque, hac ſimplici medendi methodo curatorum, quique vtitur ea ſenex opilio, ſancte aſſeuerauit ſaepius, ſe nullius aut animalis, aut hominis meminiſſe, qui poſt ſumtam ſuam medicinam rabidus euaſerit. Attamen formulam, quam laudaui, non omni vitio carere, quivis intelligit, videturque id opilio ipſe agnoſcere, vim remedii omnem a Meloe proſcarabaeo atque theriaca repetens, reliquis vero, iisdem admixtis, parum aut nihil

tri-

tribuens. Equidem, in vicem ligni ebeni, iustam Serpentariae virginianae atque Valerianae dosin admisturus essem; nam vtraque neruis accommodatissima est.

Mitto iam plura, quae communicare possem, compositionum exempla; nam allata sufficere puto, vt intelligas, existere in iis varietates magnas, nec reprehendi omnia posse eodem iure. Caeterum de aliis Meloen exhibendi modis, disputarunt clariss. DEHNE, VNGNAD & plures; cui igitur disquisitioni caeterisque, ab iisdem iam pertractatis, momentis non immoror.

§. XX.

Expositio tabulae.

Meloes apteri tres mihi species innotuere *); duas incidi curaui, tertiam omisi, cum adhi-

*) Quatuor proscabaeorum meminit celeberr. BEIREIS in progr. *de vtilitate & necessitate histor. natur.*; Helmst. 1759. quos sic describit: *maximus niger est & violaceus; alter eiusdem fere magnitudinis, colore rubro, luteo & viridi elegantissime resplendens; tertius minor, ex nigro violaceus, corpore breuiori, elytris longioribus; quartus minimus, totus atro colore tinctus, abdomine latiori praeditus, quercetorum incola.* Addit haec: *horum proscabaeorum maximus & minimus ad vsum medicum sunt praestantiores, quia oleum melli simile, in quo potissimum vis diuretica latet, maiori copia e membrorum iuncturis emittunt.* Vid. Etwas über und wider den tollen Hundesbiß; Seit. 65. flg.

adhiberi non ſoleat reliquisque ſimillima exiſtat, in eo modo diuerſa, quod Proſcarabaeo dimidia parte minor ſit ventreque gaudeat elliptico &, ſi reliquo corpori comparatur, multo breuiori.

Fig. 1. 2. & 3. Meloen maialem LINNAEI naturali magnitudine ſiſtunt.

Fig. 1. femina.
-- 2. mas.
-- 3. femina absque vmbra.

Species maxima. Elytras habet virideſcentes & punctatas. Annuli ventris variis in dorſo coloribus micant, rubro, viridi, flauo, coeruleo, vt varie radii ſolis incidunt.

Fig. 4. & 5. Meloen proſcarabaeum LINNAEI repraeſentant.

Colorem habet, vt chalybs, carbonibus mediocriter candentibus ſuperimpoſitus, quemque verbis: blau angelaufen, exprimunt.

Fig. 4. femina.
-- 5. mas.

Fig. 6. Caput Meloes reſectum exhibet. Antennae mutilatae ſunt. Apparent oculi ouales & inſtrumenta, quae paſtum tenent.

Fig.

Fig. 7. Vnum e pedibus Meloes maialis exprimit. E primo articulo, quem litt. a designaui, si manu attingitur Meloes, haud parua liquoris viscidi & flaui guttula exsudat *). In fine medii articuli retinacula duo apparent, quae celeberr. SCHAEFFER omisit **). Vltimus pedis articulus, e quatuor quinqueve minoribus compositus, duobus minoribus vnguiculis terminatur. Pes totus tenerioribus pilis hirsutus est.

Fig. 8. Antennarum Meloes vna ***).

---

*) Guttulas hasce expressas vid. in Tab. annexa der medicinischen Anweisung wegen der tollen Hundewuth; Stuttg. und Tübing. 1781. 4t. Figur. I. litt. a a. Fig. II. litt. a a.

**) Vid. D. Jac. Christ. Schäffers Abbildung und Beschreibung des Maywurmkäfers, nebst einer ausgemahlten Kupfertafel. Regensb. 1778. Expressit in *Elem. Entomolog.* Ratisbon. 1766. 4t. Tab. LXXXII, fig. IV. & V.; minus autem bene in *Icon. Insector. circa Ratisbon. indigen.* Vol. I. P. I. Tab. III. fig. V. VI. Conf. etiam DEGEER l. c. Tab. I. fig. 1. 3. & plur.

***) Antennas haec animalcula demittere solent, quam primum periculum aliquod sibi instare sentiunt; quales fere delineatae sunt in Tab. nostr. De antennis illis vid. DEGEER l. c. — Caeterum fusiorem descriptionem Meloes addere non placuit, cum ab aliis iam, passim laudatis, scriptoribus suppeditata sit. Nomina varia collegit celeberr. GOEZE in *Entomolog. Beyträg.* Th. I. Seit. 693. flg. Vid. etiam IONSTONI *Histor. nat. de insect.* p. m. 99.

Fig: 1.



Fig: 2.



Fig: 3.



Fig: 4.



Fig: 5.



Fig: 6.



Fig. 7.



Fig 8.



del: pinx: et exc: C.W. Chrysselius